



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**DE LEGE. || ET OBITER DE LIBERTATE CHRISTIANA
ASERTIONES THEOLOGICAE, AD PROMOVENDAM
studiorum renouationem Anni 1573. in disputationem
proposenda in Archiepiscopali Collegio Societatis ...**

**Broich, Willem von dem
Lupsius, Johann**

Moguntiae, 1573

Lex vnde dicatur & quid Sit, Caput Primum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46889](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46889)

DE LEGE,
ET OBITER DE LIBERTATE
Christiana Assertionēs Theologicæ.

Lex vnde dicatur & quid Sit, Caput Primum.



LEX SIVE A LEGENDO DICTA SIT,
Quòd legatur; Sive à ligando, quod obliget, aut ad obedientiam, aut ad
multam, pœnamue; Sive etiam à lucendo (Lex enim Lux, ait Sapi-
ens) dubium nullum est, quin hæc omnia ad eam pertineant.

2. **QVÆ** causa est, vt omnes perniciose libertatis amatores, nomen istud, vndecunq̃, tandem deductum, exosum habeant. Videri enim ipsi nolunt: nempe qui male agit odit lucem; constringi, literis quasi suis coloribus depingi, moleste ferunt, quia coguntur erubescere, & non pro sua libidine quidlibet agere permittuntur.
3. **QVOD** quidam breuitatis studiosi, legem principis voluntate desiniant (quod placuit enim principi, aiunt, habet vim legis) secundum proprietatem vocabuli id facere credendi sunt, quæ voluntas ea appellatur, quæ rationem ducem sequitur: quam si non sequatur, effrenata & cæca libido non voluntas, ac proinde tyrannis potius, quàm Lex dicenda est.
4. **ET ABSIT** à Sanctarum Legum tractatoribus, vt immani illi voci, Sic volo, sic inbeo, sit pro ratione voluntas, assententur; quasi nihil velle aut statuere possit princeps, nisi quod rationi sit consentaneum; aut quale quale sit, quod statuit, sine consentaneum siue dissentaneum, pro lege recipiendum sit.
5. **PROFECTO** lege si quid statuitur, sit vt ad normam exigatur. Nihil enim quod temere sit, lege fieri dicitur. Idcirco astra, siue potius caelestes orbes, certa lege ferri putamus: pisces autem in aquis, animantia in terris, & olucres in aere non putamus: quia ibi ratio apparet, hic non apparet. Est autem omnium humanorum actuum Regula, ipsa ratio. Vnde consequens est, vt vbi ratio abest, lex quoq̃, nulla sit.
6. **CVM** veroratio, vt sit amussis quadam, dicet quid agas, quantum, & quousq̃,

A 2 agas,

agas, quibus modis, quibus de causis, quibus instrumentis, siue adminiculis, ubi quando agas, aut non agas; Lux est ut arbitror, quam non corporis, sed mentis oculis cernas. Quae de causa, non absurdissime dictum videri debeat, legem à lucendo deductam

7. *QVOD* si maxime voluntas principis ducatur ratione non tamen feratur in Reipub. commodum, ne sic quidem vim legis habeat. Quae in actione versantur, finem sibi optimum praestitutum, id est, felicitatem praefixam, quae tanquam primo rationis principis moueantur, habeant oportet; & quaecumque sunt partis, ad totum necessario referuntur. Tunc enim est pars, quae toti non congruit. Est ergo Reipub. felicitas à principe spectanda, quando legem condere cogitat.

8. *SED* nec satis sunt haec: Nihil siquidem profuerit lucerna sub modio, nec fieri illa ratione potest, ut sequatur quis aut caueat, quod ignorat. Voluntas igitur ratione reuera, & in finem siue scopum commodi publici tendens, debet cognosci, si pro futura est: ut cognoscatur autem, edicatur oportet. Nemo enim voluntatem alterius nouit, nisi signis aliquibus proditam, inter quae teste B. Augustino, principatum verba tenent. Vt ergo dubium nihil resset, enunciatur lex, & scriptis mandetur, ut si opus fuerit, legi possit. utque legem habet, quod alij autumant, legem à legendo dictam.

9. *SVB* nomine porro principis catus quoque hominum intelligendus venit, tum quod respublica quadam legibus optimis regantur, sine principe tamen aliquo uno, tum deinde, quod nullus omnino sit princeps, qui non potestate à populo accepta utatur: alioquin confertur tyrannus: & nequequam sibi auctoritatem ferendi leges sumat, cui populus parere recuset.

10. *ESTO* igitur lex agendorum omittendorumque, in commodum & utilitatem Reipub. constituta, praescriptaue ac promulgata ratio, promulgata inquam, siue plebis, siue principis, qui totius populi personam sustinet, nomine auctoritateue.

Partitio legis & officium Caput Secundum

11. *QVONIAM* vero summa quadam ratio est, orbem vniuersum administrans, quae ut D. Aug. verbis utamur, intelligenti, non potest non incommutabilis, aeternaque videri: & lex quadam aeterna.

12. *INDE* vero qualibet in actione praelucens igniculus noster accensus: de quo in Psal. facta interrogatio: Quis ostendit nobis bona? Respondetur; Signatum est super nos lumen vultus tui domine, constituet legem uaturalem.

13. *AB* hoc emicantes quadam scintilla, hominum studiorum diligentia elicitae, factae humanae.